



AN. XXI · N. 126.

MM. MARTIO et APRILI

AN. D. MCMLI

www.culturaclasica.com

SUMMARIUM

Collidunt Palaestritae — Libri accepti
De hexametro Vergiliano
Ad murem. - Ad ver
De vario superlativi usu
Mystica nox
De quibusdam novis vocabulis
Nova et vetera
Lucretiana
Bibliographia
Palaestra exercitatoria

Aldave-Mir
Jiménez
Franciscus Lage Martínez
Beltrani
Bond
Avenarius
Mir
Orth
Mir, García, Cebrián, Alba
Marcos

Collidunt Palaestritae

*Joachim ab Aldave Josepho M. Mir, dilectissimo PALAESTRAE LATINAE
Moderatori salutem*

Cum minimus quidem sim atque scientia vacuus inter subnotatores PALAESTRAE LATINAE, pulcherrimi operis, et qui idec sub maximo silentii pondere latere debueram, tamen, Musae excitatus voce, opus humillimum ac versificatum, cui titulus «Dormi, fili mi», mittendum decrevi, rogans ut cum illud recipias ac patienter legas, iudicium de eo pronunties. Optandum ut PALAESTRA etiam ad pusillos descendat et ut amplioribus crescat pagellis, quibus et aliis minoribus locus detur.

Ut pace et salute plurimum participes, votum Domino voveo.
10-II-1951. Orio.

Jos. M. Mir Dno. Joachimo ab Aldave sal.

Tandem quod jamdiu tibi fuerat in votis est consecutus; scintillam laboris tui inscriptam, excusis litteris, vides in PALAESTRA nostra. —Gaudesne? —De versibus tuis alias. Utinam bonus ille Aristarchus probet neque tornari eos jubeat... Vale atque litteras, ut facis, ama.

Barbastro, XV kal. Martias.

Libri in Actuaria accepti

- F. A. E., Boletín de la F. A. E., 1938. - Imp., Libr., y Enc. del Montepío Diocesano, S. Antonio. Vitoria.*
La Restauración cristiana de la Enseñanza, Carta Pastoral del Excmo. y Rdm. Sr. Dr. D. Jesús Mérida Pérez, Obispo de Astorga. - F. A. E. - Claudio Coello, 32. Madrid.
En torno al Examen de Estado, Documentos importantes. - F. A. E. - Claudio Coello, 52, Madrid.
Libertad de Enseñanza y Examen de Estado, Eustaquio Guerrero, S. J. - F. A. E. - Claudio Coello, 32, Madrid.
Anuario de la Enseñanza privada en España, - F. A. E., Madrid. - Distribuciones O.D.E.R., Mayor, 81, Madrid.

Ordinarii et Superiorum licentia

TEXTOS PALAESTRA

Edición de texto y comentario escolar

Primer curso	}	<i>Jiménez,</i> Latín 1.º (2.ª edición)	12 ptas.
		• Historiae Sacrae Compendium (3.ª edic.)	5 •
Segundo curso	}	<i>Jiménez,</i> Latín 2.º (2.ª edición) (<i>en prensa</i>)	
		• Repetitorium (Libro de prácticas)	15 •
		• Epitome Historiae Graecae (4.ª edición)	6 •
Tercer curso	}	<i>Jiménez,</i> Latín 3.º (<i>en preparación</i>)	
		<i>Ramos,</i> Corneli Nepotis Vitae	5 •
		<i>Mir,</i> Ciceronis Epistulae Selectae	4 •
Cuarto curso	}	<i>Jiménez,</i> Latín 4.º (<i>en preparación</i>)	
		• Caesaris de Bello Civili, 2.ª edic.	6 •
		• Ciceronis pro Archia poëta	4 •
		• Ciceronis in Catilinam	4 •
Quinto curso	}	<i>Jiménez,</i> Latín 5.º (<i>en preparación</i>)	
		<i>Martija,</i> Vergili Aeneidos (libro 2.º)	6 •
		<i>Mesa,</i> Sallusti de Conjuratone Catilinae	6 •
		<i>Mir,</i> Nova et Vetera (método directo del latín)	20 •
		<i>Planque-Planas,</i> Gramática Griega	36 •
Sexto y séptimo curso	}	<i>Jiménez,</i> De Orthographia Latina	6 •
		<i>Martija,</i> Prudenti Carmina Selecta (2.ª edición)	5 •
		<i>Sarmiento,</i> Martialis Epigrammata	4 •
		<i>Mesa,</i> Titi Livi Historiae Selectae	8 •
		<i>Zuluaga,</i> Horati Carmina Selecta	6 •
		<i>Ruiz,</i> Homeri Odyssea (Primer canto)	10 •
		<i>Ramos,</i> Xenophontis Anabasis (Primer libro)	12 •

Edición de sólo texto

Ciceronis Epistulae	2 ptas.
Ciceronis in Catalinam.	2 •
Ciceronis pro Archia	2 •
C. Nepotis Vitae	2 •
Sallusti de Catilinae Conjuratone	3 •
Titi Livi Historiae	3 •
Vergili Aeneidos (lib. II)	3 •
Horati Carmina	3 •

CLÁSICOS "LABOR"

Esta Colección constituye el guía obligado en la lectura y estudio de los grandes clásicos de la Antigüedad y de las Literaturas modernas. Cada volumen contiene un estudio magistral acerca de uno de los grandes autores y una selección de los textos más bellos y representativos de sus obras, facilitando con oportunos comentarios la perfecta asimilación de su contenido ideológico y su plena fruición estética.

Volúmenes de 250 a 300 páginas, tamaño manual (11,5 x 17,5), encuadernados a la holandesa, con sobrecubierta a dos tintas y un retrato del autor estudiado, impreso sobre papel couché.

VOLÚMENES PUBLICADOS

1. **HOMERO**, por J. M. PABÓN, Catedrático de Lengua y Literatura griega en la Universidad Central. Ptas 28 —
2. **VIRGILIO**, por J. de ECHAVE-SUSTAETA, Catedrático de Lengua y Literatura latina. Ptas. 32. —
4. **BALTASAR GRACIAN**, por J. GARCÍA LÓPEZ, Catedrático de Lengua y Literatura española. Ptas. 30.
5. **SÉNECA**, por J. F. YELA, Catedrático de Filosofía en la Universidad Central. Ptas. 30. —
6. **DEMÓSTENES**, por M. FERNÁNDEZ GALIANO, Catedrático de Lengua y Literatura griega en la Universidad Central. Ptas. 32. —

NUEVOS TOMOS EN PRENSA Y EN PREPARACIÓN

EDITORIAL LABOR, S. A.

MADRID: Alcalá, 144

BARCELONA: Ronda Universidad, 23

FOTOGRAFADOS

CLARA

IGUALADA, 6 (GRACIA) · TELEFONO, 27'69'35

BARCELONA

Cum emetis, PALAESTRAM LATINAM nuntiantibus referetis

PALAESTRA LATINA

De hexametro Vergiliano

1. Caput inter alios extulit vates

Pristina illa ficta carmina, quae, impetu quodam initio —verbis utor Quintiliani (1)— et aurium mensura et similiter decurrentium spatiorum observatione, fauni vatesque, laudabilia forsitan illa tempestate rudibus ingeniis (2), caneant, demum politioribus auribus abhorrentia (3) obsoletaque perierant, cum Ennius (239-169 a. Chr.) hexametros Graecos in agrestem Latium inferebat.

Ennius ipse palam profitetur:

...scripsere alii rem
versibus, quos olim Faunei vatesque caneant,
cum neque Musarum scopulos...
...nec dicti studiosus quisquam erat ante hunc.
Nos ausi reserare (4).

Sed Ennii carmina, etsi non careant vi ac robore (5), quid adhuc barbarum et inconditum sonabant. Quis enim hunc ex. gr. *hexametrum minimum*, ut ita dicam,

olli respondit rex Albae Longae (6)

unquam ut carmen haberet nisi in Corpore Enniano receptum esset?

Igitur Graecus hexameter, jam in Latinas litteras inductus, aptandus et molliendus erat ingenio et arte eorum poetarum, qui post Ennium prodierunt. Lucilius (†103), Varro (116-27), Cicero (106-43), Lucretius Carus (98?-55), Catullus (87?-54?) mitiores in dies suavioresque hexametros condiderunt.

At Vergilio magna debetur gloria, quod hexametrum Latina civitate donaverit et in eo effingendo omnium poetarum magister et princeps maxime evaserit. Non immerito Vergilii nomen ad sidera tollit Venusinus, cum, postquam rudiores et incompositos versus Lucilii pristinatorumque vatum reprehendit, Pollionem laudat et Varium, et de Virgilio aperte testatur:

(1) Cfr. QUINT. 9, 4, 114.

(2) Cfr. LIVIUS 27, 37, 13.

(3) HORAT. Ep. 2, 1, 157: sic horridus ille defluxit numerus saturnius.

(4) Cfr. ERNOUT, *Rec. de Textes Latins archaïques*, Ennius 125-129 (pag. 157).

(5) Sic ex. gr. illa clariora Ennii carmina:

Moribus antiquis res stat Romana virisque.
Nos sumus Romani qui fuimus ante Rudini.
O Tite tute Tati tibi tanta tyranne tulisti.
Ille vir haud magna cum re, sed plenus fidei.

(6) ENN. 18. cfr. *Rec. de Textes Lat.*, p. 148.

...molle atque facetum
Vergilio adnuerunt gaudentes Camenae (7).

2. Et quae fuit tantae gloriae causa?

Illud quidem, omni assentatione recisa, adserere licet: Vergiliū carmina omnibus numeris esse perfecta et auribus jucundissima. Satis sit haec tantum proferre, quae, si attente perlegeris, eorum suavitatem percipies.

Ex Bucolica prima, 1-5:

Tityre, tu patulae recubans sub tegmine fagi
silvestrem tenui musam meditaris avena;
nos patriae fines et dulcia linquimus arva,
nos patriam fugimus: tu, Tityre, lentus in umbra
formosam resonare doces Amaryllida silvas.

Ex Georgicis 1, 197-203:

Vidi lecta diu et multo spectata labore
degenerare tamen, ni vis humana quotannis
maxima quaeque manu legeret. Sic omnia fatis
in pejus ruere ac retro sublapsa referri,
non aliter quam qui adverso vix flumine lembum
remigis subigit, si brachia forte remisit,
atque illum in praeceps prono rapit alveus amni.

Ex Aeneide 2, 1-3:

Conticuere omnes intentique ora tenebant.
Inde toro pater Aeneas sic orsus ab alto:
Infandum, regina, jubes renovare dolorem.

Unde vero exurgat promanetque haec Vergilianorum versuum numerositas et dulcedo haud facile est dictu; nam Vergilius curaverat et syllabarum, immo litterarum, dispositionem, et pedum varietatem, et sonorum fluxum atque incisionum, et verba animi motibus rei que ponderi apte respondentia.

Tu quoque forte legeris, quos gratissimos invenisti, Vergilianos illos versus (Georg. 1, 204-207):

Praeterea tam sunt Arcturi sidera nobis
Haedorumque dies servandi et lucidus Anguis,
quam quibus in patriam ventosa per aequora vectis
pontus et ostriferi fauces temptantur Abydi.

Sed, si fontem seu causam jucunditatis requiras, forsitan definire nescias, cum sint plurimae. Audi clmum. Espinosa Polit S. J., de his versibus disserentem. Patet, ait, distinctio inter duo priores (praeterea tam...) et duo extremos versus (quam quibus...). Hi de re nautica, illi de agricolis agunt. Vergilius aptavit cursum carminis, immo et litteras, ipsius rei naturae.

• Al par que lo referente a los agricultores —sunt verba Ptris. Espinosa (8)— se desliza en forma de melodía clara y nítida, con vocalización predominante de *tes* y doble aliteración en *eses* y *erres*; en cambio los dos versos que hablan de los marinos, se desarrollan dentro de una

(7) HOR. *Serm.*, I, 10, 44-45. Cfr. A. CORDIER, *Les débuts de l'hexamètre latin*, Publ. de la Fac. de l'Univ. de Lille, Paris, 1947.

(8) A. ESPINOSA POLIT, *Musicalismo en Virgilio*, Cuenca-Ecuador 1937, pag. 4.

armonización compleja, verdadera orquestación en ondas sonoras, bellísimas en sí, y a más, perfectamente acomodada a la melodía del primer par de versos; pues ésta, en medio de los repetidos y variados sonidos nasales, se continúa con delicadas reminiscencias de la misma vocal predominante y de la misma doble aliteración. Es exactamente como cuando en una orquesta entran los violines o las flautas por cuatro o cinco compases con tenue, pura y penetrante melodía, y rompen luego a una los instrumentos repitiendo, completando y realzando la dulzura del sonido inicial».

Plura exempla adduci possunt ad rem declarandam, sed nolo diutius probationem protrahere. Constat enim Vergilii versus limatiores esse; ipse enim saepe stilum vertit, carminaque recidit, «iterum quae digna legi sint scripturus» (9).

Atque revera tantam suavitatem et dulcedinem redolere videntur vergiliana carmina ut, teste Tacito (10), *populus, auditis in theatro versibus illius, surrexerit universus et forte praesentem spectantemque Vergilium veneratus sit sic quasi Augustum.*

3. De caesura Vergiliana

Sed quod maximam numerositatem tribuit hexametro Vergiliano est recta caesurarum dispositio et variatio. Ecce summatim exempla praecipua (11):

1) *Penthemimeris* seu semiquinaria. Haec omnium jucundissima est et in Vergilio frequentior 85 %:

Arma virumque cano || Trojae qui primus ab oris (Aen. 1, 1).

2) *Bucolica*, eadem nempe penthemimeris caesura, addita pausa post quartum pedem. Vergilius in *Bucolicis* 33 exempla offert:

Sive antro potius || succedimus; | aspice ut antrum (Buc. 5, 6).

3) *Triplex A.* id est: trihemimeris-hepthemimeris cum incisione trochaica in tertio pede. In Vergilio 10 %, scilicet 1.300 exempla:

Infandum || regina || jubes || renovare dolorem (Aen. 2, 3).

4) *Triplex B.* i. e.: trihemimeris-hepthemimeris cum incisione seu pausa ante tertium pedem. In Vergilio tantum 250 exempla:

Clamores || simul || horrendos || ad sidera tollit (Aen. 2, 222).

5) *Trochaica-hepthemimeris A.*, quae fit post trochaeum tertii pedis et post syllabam longam quarti. In Vergilio pauca exempla, 60 circiter, quorum 25 cum verbo aliquo Graeco:

lilia verbenasque || premens || vescu[m]que papaver (G. 4, 131).

6) *Trochaica-hepthemimeris B.*, eadem ac prior, sed cum incisione trochaica, non in tertio pede, sed in secundo. Est rarissima in Vergilio; 11 tantum exempla:

hirsutumque || supercilium || promissaque barba (Buc. 8, 24).

7) *Trihemimeris trochaica*, quae nempe incisionem habet post longam

(9) Cfr. HOR. *Serm.* 1, 10, 72-73.

(10) TAC. *Dial.*, 13.

(11) Cfr. NOUGARÉ, *Traité de Métrique latine classique*, Paris, Klincksieck, 1948, p. 39.

syllabam secundi pedis et post trochaeum tertii. In Vergilio raro invenitur; tantum 23 exempla:

impious haec || tam culta || novalia miles habebit (Buc. 1, 70).

8) *Trihemimeris-hephthemimeris*, quae apud Vergilium non nisi quater aut quinques occurrit et praesertim ad quosdam poëticos effectus. Sic ex. gr.:

det motus || incompositos || et carmina dicat (G. 1, 350).

9) *Trochaica*, quae post duos pedes habet trochaeum, ibique fit versus incisio. Haec caesura, quae feminina dicitur, cum versum molliorem efficiat, a Vergilio vix, nisi cum masculina caesura sociata, adhibetur. Ter quaterque tantum in Aen. usitatam invenies:

Tempora cunctantiquē || natantia lumina solvit (Aen. 5, 856).

Sed de his fusius apud F. PEETERS, *Etude sur l'hexamètre virgilien*, Mélanges P. Thomas, Bruges 1930; A. W. DE GROOT, *Vorm, Krank en rythme von het Vergiliusvers*, Hermeneus 1930, pp. 185-188; ID. GROOT, *Die Form der vergilianischen Hexameters*, Boll. Assoc. inter. Studi Mediterr. 1930, n. 4 pp. 15-19.

JOSEPHUS JIMÉNEZ, C. M. F.

Salmanticae.

EXERCITATIONES

AD MUREM

Musculus currit, timidusque versat
ore lascivo. Faciem revertit
angulos laris metuens in omnes.
Aspicit unum!

Risus impellit ciceris salubris
claudus. Et custos retinet parumper
aspero nisu. Minimus fugit mus.
Aduit escae.

Laetus accurrit prope, nunc obire
incipit dolos. Pede, dente promptus
postmodum tangit. Cupiente fertur
ore statimque.

Fraudis ignarus tetigit cibum. Sed
audet e dolis fugitare frustra.
Mortuus jacet. Moriens in ore
ipse renidet.

FRANCISCUS LAGE MARTÍNEZ
(e III lat. cursu)

Spini, in *Juvenatu* C. SS. R. 30-III-1950

AD VER

Curre jam ridens, placidum, serenum
ver et in nostris sere nunc odores.
Omnia arrident. Madidum gradumque
corripe laetum.

Jam ciconiae volitant ad altas
nuntii turres, ubi tecta veris
instruunt. Parant laqueos aquoso
mittere pisci.

Arbor et gemmae tenerae tument. Et
silva laetatur. Opifex apum gens
graminis suaves resonant loquelas
murmure grato.

Nascitur rursus corylus calore,
pandit aestivos niveosque dulces
flosculos; ramis volitat petulca
mitis acanthis.

FRANCISCUS LAGE MARTÍNEZ

Notulae Stilisticae

De vario superlativi usu

Nobis in animo est, quid de multiplici varioque Superlativorum usu Stilistica nos doceat, proferre atque perstringere.

Sic rem partimur:

- 1) Quibus in locis et adjunctis Superlativa usurpent classici scriptores,
- 2) Quomodo Superlativis Latinis vim adjicere possimus,
- 3) Quibus rationibus Superlativa latina exprimantur.

I. Quibus in locis et adjunctis superlativa usurpent classici scriptores

Hoc potissimum memoriae commenda: classicos scriptores, et in primis Tullium, crebrius quam Hispanos *superlativis indulgere*.

Quasdam vero leges seu normas servare mos est, quarum haec summa:

1) Ubi in sermone Hispanico adjectivum *substantive sumptum* vim superlativam habet a quibusdam adjectivis, vel adverbis (ut *tan, gran, excelente, extraordinariamente, en extremo, en el más alto grado...*), Latino magis est consentaneum et gratum *simplex superlativum*.

Exempla: Adensus est Catoni, amicissimo meo (Cic., Att. 7, 1, 8): *mi excelente y gran amigo*. Cujusvis artis difficillima (id., De or. 2, 16, 69): *lo más extraordinariamente difícil de cada arte*. Tuus familiarissimus (id., Ep. 5, 17, 2): *tu íntimo amigo*. Cum discendi causa duobus peritissimis operam dedisset (BRUT. 42, 154): *bajo el magisterio de dos excelentes preceptores*.

Nota. — Vocabula *tam, tantus...* sensu mere exclamativo seu superlativo (i. e. non correlativo) tunc tantum invenitur apud Classicos cum adest *pronomen demonstrativum sensu emphatico*, aut *propositio interrogans vel negans*.

Secus, *simplex superlativum* adhibendum est.

Exempla: *Ista tanta tamque multa profitenda non censeo* (Cic.). *In hoc, igitur, tanto tam inmensoque campo* (id., De or. 3, 31, 124).

Numquam reo cuiquam tam humili, tam sordido... negavi (id., Att. 8, 4, 2). *Nondum* erat vestris tam gravissimis tamque multis iudiciis ignominis que concisus (id., Phil. 12, 5, 11).

Quis hoc Philosophus tam mollis probare posset? (id., De or. 1, 52, 226).

Is concentus ex dissimillarum vocum moderatione concors tamen efficitur et congruens (Cic.): *a pesar de la modulación de palabras tan disonantes...* Carthaginenses, homines in maritimis rebus exercitatissimos paratissimosque, vicerunt (Cic., Imp. 18, 55): *hombres tan diestros y tan armados*. Sumus natura studiosissimi appetentissimique honestatis (Cic.): *¡somos tan amantes y deseosos del bien!*

2) In locutionibus *appositis, laudem aut dedecus* significantibus *superlativum* usurpant Latini pro positivo Hispanico.

Exempla: Urbem pulcherrimam, Syracusas incolumem esse passus est (Cic., Verr. 2, 2, 24): *la hermosa ciudad de Siracusa*. Marco Fabio viro optimo et homine doctissimo, familiarissime

utor (Cic.): *M. Fabio, varón probo e ilustrado. Vir amplissimus, P. Scipio (id.): el ilustre Escipión. Athenae, doctissima civitas (id): la docta Atenas.*

3) E contra, *positivum* nudum adhibent Latini, si adjectiva ex sese sensu polleant superlativo. Hujusmodi adjectivis interdum additur eleganter pronomen «quidam».

Exempla: Egregia victoria (Liv.): *victoria señaladísima. Avunculo tuo, divino ac singulari viro (Cic., Fin. 3, 2, 6): hombre sin igual. Summum bonum (id., Fin. 1, 20, 65): el bien supremo.*

Incredibilis quaedam ingenii magnitudo, divina quaedam memoria rerum (id., Acad. 2, 1, 2). Te natura excelsum quemdam genuit (id., Tusc. 2, 4, 11). Est quodam incredibili robore animi (id., Mil. 37, 101).

II. Quomodo superlativo latino vis adjiciatur

1) Superlativo *relativo* apponitur, emphasis gratia, *unus vel unus omnium; sive relativo sive absoluto: longe, multo, etiam, facile, vel.*

Exempla: P. Scaevolam unum nostrae civitatis praestantissimum audeo dicere (Cic., Am. 1, 1). Eloquentiam rem unam esse omnium difficillimam (Cic. Brut. 6, 25). Virum unum totius Graeciae facile doctissimum Platonem in maximis periculis insiditisque esse versatum accepimus (Cic., Rab. P. 9, 23). Multo jucundissimus (id., Man. 1, 1). Longe post natos homines improbissimus (id., Brut. 62, 224).

2) Superlativa singularia et neutra pluralia pronomen *quisque* saepe libenter admittunt.

Exempla: Ex ceteris philosophis nonne optimus et gravissimus quisque confitetur multa se ignorare? (Cic., Tusc. 3, 28, 69): *los mejores y más graves...* Veterrima quaeque (amicitia) esse debet gravissima (id., Verr. 19, 67). Optimum quidque rarissimum est (id., Fam. 2, 25, 82). Maximae cuique fortunae minime credendum est (Liv., 30, 30, 18). Ex variis ingenis excellentissima quaeque libavimus (Cic., Inv. 2, 2, 4).

3) Ad significandum gradum omnium maximum Superlativis additur vox *quam*, sive ipsa sola sive comitante verbo «possum»; vel etiam vocabula *quantus* vel *ut*, si «possum» subsequatur.

Exempla: Peto a te ut quam celerrime mihi librarius mittatur (Cic., Fam. 16, 21, 8). (Aves) nidos construunt, eosque quam possunt mollissime substernunt (id., N. D. 2, 52, 127). Tanta est inter eos quanta maxima potest esse morum studiorumque distantia (id., Lael. 20, 74). (Caesari) te commendavi ut gravissime diligenterque potui (id., Fam. 7, 17, 2). Appellat hominem.. ut placidissime potest (id., P. Clu. 72).

DOMINICUS A. BELTRANI, C. M. F.

«Villae Claret» apud Cordubam, in Argentina.

(sequar)

I. - Mysterious Night!

*Mysterious Night! When our first parent knew
Thee, from report divine, and heard thy name,
Did he not tremble for this lovely frame,
This glorious canopy of light and blue?*

*Yet, neath a curtain of translucent dew,
Pathed in the rays of the great setting flame,
Hesperus with the host of heaven, came,
And lo! Creation widened in man's view.*

*Who could have thought such darkness lay con-
[cealed
Within thy beams, o Sun! or who could find,
Whilst fly and leaf and insect stood revealed,
That to such countless orbs thou mad'st us blind!
Why do we then shun death with anxious strife?
If light can thus deceive, wherefore not life?*

JOSEPH MARIA BLANCO WHITE
(Hispanus)

II. - La Noche

*Al ver la noche Adán por vez primera
Que iba borrando y apagando el mundo,
Creyó que, al par del astro moribundo,
La Creación agonizaba entera.*

*Mas luego, al ver lumbrera tras lumbrera
Dulce brotar, y hervir en un segundo
Universo sin fin... vuelto en profundo
Pasma de gratitud, ora y espera.*

*Un Sol velaba mil; fué un nuevo Oriente
Su ocaso; y pronto aquella luz dormida
Despertó al mismo Adán pura y fulgente.*

*...¿Por qué la muerte el ánimo intimida?
Si así engaña la luz tan dulcemente,
¿Por qué no ha de engañar también la vi-
[da?*

RAPHAEL POMBO
(Columbianus)

III. - Mystica nox!

*Mystica nox, cum te primum conspexit Adamus
Tendere nigrantem per loca cuncta togam,
Quaeque prius folia et minimarum corpora rerum
Cernere erat, miris caeca lucere modis;
Nonne animum dubii tentavit frigidus horror,
Ne caderet fracti machina magna poli;
Caerula ne ruerent proni laquearia caeli,
Neve dies vitae prima, suprema foret?
Attamen haec inter, sub roscida nubila fulgens,
Hesperus exurgit, sidereusque chorus;
Visibus attonitis en alter nascitur orbis,
En novus aetheriis arcibus exstat honos!
Mille unus soles velabat, quodque repugnat
credere, lux ipsa est quae patuisse vetat.
Cur igitur tanto fugimus molimine mortem?
Lux potuit, cur non fallere vita potest?*

SAMUEL BOND
(Anglus)

De quibusdam -novis vocabulis in Latinum inducendis*

Alias accepimus litteras a clmo. auctore, in iisque significantiorem titulum harum epistularium disquisitionum proponit, nempe: *De hodierno colore delectuque vocabulorum vetusti sermonis Latini...*

«Responsabilitatis»

ignota olim forma. Dicamus igitur nos «sponsionem et sponsorem», et «sibi aliquid recipere», et «rei reddere rationem». Audito tamen ab aliquo, qui ab intensivo respondendi verbo, quod fuit *responsare*, unde dudum *responsativus* et *responsorium* tractum est, *responsabili* et *responsabilitate*, hoc est: facultate respondendi ad omnia, ne, quaeso, statim horreant comae! Suo enim jure filiae linguae Latinae omnes eam vocem a maternis vocabulis eduxerunt, ut esset, qui rem certam certo significarent nomine.

«Ost, Sud, West»

Quod internationalia illa *Ost, Sud, West* (haec forma Germanica est), *Nord* attinet, jucundum est tibi narrare legisse me in mea parva encyclopaedia quae est «Petit Larousse» eadem Gallice, quae ego in illa epistula proposueram Latine; nam est ibi: «pôle sud», «la partie sud de la France», quam ego faciam: «partem sud Galliae», cum illum polum antarcticum, et contrarium arcticum polum frequentius nominem, neque excludam *polus sud et nord*. Cogita paulisper, Joseph, quomodo nos, qui Latine velimus omnia, Latine loquaris de rosa ventorum, quae dicitur. Memini legisse me quondam varios ventos, qui illas regiones denotarent, quae hodie sunt, et omnium, qui se intellegi cupiant, debeant esse sic: *nord, nord ost, nord nord ost, sudwest, ost sud ost*, ceterae. Illos tu ventos —euroaquo et euronotus sunt ex illo numero— si potueris investigare, utilem facies rem, si in PALAESTRA catalogum propones. Sed quam nos infantes erimus, etsi non nobis esse videbimur, si periphrastice docere coeperimus *ventum sud sud ost* ventum esse afflantem ex regione meridiana vel antarctica, quae sit inter orientem solem et meridiem, propior tamen lineae meridionali.

De «electrivala»

dictum supra est. Restat *telephonare* et *telegraphare*. Hic in primis constat eam infinitivi modi terminationem quae graece est «ein», latine esse «are». Non sane nunc occurrit compositum a veteribus frequentatum, cujus posterior pars sit *-graphare*. Sed dictum fuisse et dici video *citharizare, apologare, angariare, philosophari*, in quibus omnibus graecum «ein» «are» in ore latino factum est. Inventa igitur telegraphia, si licuit et placuit primogenitae linguae

* Cfr fasc. 124, p. 203.

Latinae filiae, quae est Italica lingua, *telegrafare* et *telefonare*, si eadem voce usi Galli *télégraphier* et *téléphoner* dicunt sua lingua, quae et ipsa elegans est Latinae filia, si Germani iisdem usi vocibus suo more «telegraphieren» dicunt et «telephonieren», si vos et vicini vestri Lusitani, ex quibus meridionalis America et media America Latina appellantur, non alia adhibetis vocabula, debetne choro conclamante filiarum omnium et barbarorum assonante choro sola mater Latina a se rejicere ista vocabula sapienter rei novae adaptata? Non mater, inquam, respuit, sed nos tergiversamur, qui plane linguam vivere Latinam nolimus neque agnoscamus Latinum quicquam nisi idem fossicium sit.

Ah! viden' quam sit longo sermone opus, si vel de paucis novatis vocibus dicenda causa sit? Ecce, subit illa epistula, quam postridie prioris dedisti. Quae illic principia negativa proposuisti, exceptis verbis a me defensis supra, probo laudoque. Tecum respuo et a me prohibeo: *abonnare*, *compartimentum*, *alcoba*, *attentatum* (quae Ciceroni petitio est), *revalorationem*, *disarmationem*, *aquarellum*. «Actualis», nomen adjectivum, relinquamus philosophis et theologis dividendum v. g. intentionem mentis in «actualement, habitualement, interpretativement». Scholae sua vocabula me auctore sint integra; multa artium vocabula tangenda non sunt. *Alphabetum* meis legibus admitto et *analphabetam* et *abecedarium*, quo jure *bombationem* retineo. Hic teneri non potui, quin ad bibliothecam properarem nostram, si quod invenirem vocabularium hispanicum. Repperi satis amplum volumen hispanico-germanicum. Itaque «cognac» nomen est oppidi Galliae, cujus incolae et accolae celebre illud frumentaceum vinum ipso loci nomine *cognac* conficiunt, quod *cogniacum* (vinum) rectissime vocas. «Ron» vel «rum» (Rhum Anglorum et Germanorum mellaceum vinum est, quod «rhumum» vocari placet. Si, quod dixi, vocabularium *anisete* vestrum recte germanice reddidit «Aniswasser», *anisete* erit *anethata* vel *anethina* (aqua). *Yog(h)urt(h)*, «lac coagulatum» maneat, minusque probatur *yoghurthinum lac*; sed viderint me doctiores.

Quae deinde monstra narras tentata a quibusdam ut dicerent: *machinoficilis*, *osharmonica*, *vapornavis*, melius nata non essent, cum luce et nomine latino indigna sint.

Et quia sentio te non minus ad legendum jam languescere, quam me ad scribendum, de illa synopsi militarium nominum, quam ad me ante datam postea etiam in fasciculo 114 PALAESTRAE edidisti, placent ea omnia exceptis illis novis quae proposuit nimium indulgens hodiernis cognominationibus clarissimus ille Lurtius, connationalis meus. Fateor autem facilius esse minus Latina vel non Latina sugillare, quam offerre meliora. Et haec ipsa militaria certissime numeranda sunt in eo genere verborum, quae nisi Collegii Latini suprema auctoritate statutum erit, quae vox Latina cui voci hodiernae respondere debeat, frustra exspectamus optimis vocabulis nostris in auditore nostram excitari ideam et nasci.

Mutatam PALAESTRAE faciem vidi... Illa aquila columnae insidens et alta prospiciens, quam pulchre hortari videtur, ut amore Ecclesiae ducti inferiora profana fortiore nisu, et, ut ita dicam, classico volatu transcendamus.

Claretianus annus me jubet a Deo optare ut multos etiam Clareti filios invadat irrequietum studium Latinitatis! Vale. Roma.

ANDREAS AVENARIUS, S. V. D.

Nova et Vetera

Culina hodierna

Elisabetha, Johannis Gundisalvii uxor, famulam habet Mariam nomine, quae primo mane macellum adit obsonatum, et ibi, quae ad jentaculum, ad prandium, ad cenam opus sunt, emit. Ad olerum venditorem accedit ab eoque brassicas ¹, spinacias, fabas, lactucas, betas ², cināras ³, melongēnas ⁴, napos, cepas, alia... emendat conquirat; deinde ad tabernam condimentariam ⁵ et esculentorum ⁶ se confert, et sal, piper, sināpi, crocum ⁷, anisum... a venditore postulat et mentam — nam «grato menta, inquit Plinius*, mensas odore percurrit in rusticis dapibus». Cum vero dies sit pisculentus, lanienam praeterit et in foro piscatorio conchilia, thynnium, salmonem, gadum merluccium ⁸... comparat.

Tandem a macello rediit, et nunc — uti vides — in culina regnat; ibi omnia munda sunt, nam superiore nocte suo quaeque loco sunt disposita. Ad parietem trullula ⁹, craticula, pocillum, lanx assatoria ¹⁰, patella cum manutergio ¹¹ et panno tersorio ¹² pendent. Famula vestem induit paululum manicatam, ac ne facile commaculetur cinctum sibi imponit. Igniariorum ¹³ capsulam accipit, ignem excutit quadrulam compressi carbunculi ¹⁴ accendit, assulas, ramenta lignorumque scapos ¹⁵ paulatim immittit: ignis exstructus est. Authepsam electricam ¹⁶ et in primis focum — ut ajunt — oeconomicum ¹⁷ habere famulis focariis maxime juvat; in eo enim bini sunt foculi ¹⁸, lamina ¹⁹ aerata continuo ardens, infra bini saltem furni ²⁰ reconduntur, ubi esculenta facile perpetuo sunt calida. In superiore parte thermosiphon ²¹ est appensus e quo aqua calida effluit. Fumus per infurnibulum ²² foris expellitur.

Famula Maria hoc fere modo cibos apparatus consuevit: mane jentaculum componit, in quo pueri chocolatom potionem ²³ aut cafēum cum lacte ²⁴ saccharo conditum ²⁵ et frustula panis tostī butyro aut cydoniato intincti sumunt; saepe etiam orbiculos panis, quibus tenuissima perna est immissa.

Hora prima post meridiem prandium instruit, in quo pro temporum varietate varia infert feracula seu missus, in quibus sunt: jusculum ²⁹ cum turundis panis et





* H. N. 19, 8, 47 (160).

carnis ³⁰, sorbitio ex pasta ³¹, similago ³²; deinde cicera, faseoli, pisa, tubera solana ³³ fricta aut assa; caro jurulenta ³⁴; assatura³⁵; pasta segmenta ³⁶, vermiculi ³⁷, pasta tubulata ³⁸ casco et jure condita, oryza Valentinorum more ³⁹ parata; bubula lardo vinoque condita ⁴⁰; gadus merluccius frictus aceto perfusus ⁴¹; artocreata ⁴²; offulae tomacinae ⁴³ aut lucanicae ⁴⁴; minūta ⁴⁵; obsonia fricta ⁴⁶: quibus expletis, haustoque vino a convivis, famula lances fructuarias ⁴⁷ apponet cum prunis, armeniacis ⁴⁸, persicis, melonibus, citrullis ⁴⁹, platanis, malis aureis ⁵⁰...

Adulescentes ad vesperam saepe antecenium seu merendam interponunt, quae ex pane constat et ficis aridis, palmulis ⁵¹, caryotis ⁵², uvis passis, amygdalis, avelanis aut chocolatae quadrula ⁵³ aut ex pane mellito. Gundisalvius ejusque filii merenda parum delectantur; antecibum ⁵⁴ vero aut gustationem absinthiacam ⁵⁵ amant, quam saepe ad famem excitandam sumunt.

Nocte, laboribus expletis, omnes ad cenam accedunt: in lata paropside continentur acetaria, lycopersica ⁵⁷ sale conspersa, oleo irrorata parūque aceto perfusa; tubera solana deinde apparantur elixa cum brassicis capitatis ⁵⁸; ferculum carnis cum prunis passis vel spinaciis...; et ova, quae multiplici modo parantur, sunt enim: recentia ⁵⁹, fluida ⁶⁰, elixa ⁶¹, concreta ⁶², assa ⁶³, rudicula agitata ⁶⁴, mixta ⁶⁵, fricta ⁶⁶. Deinde Elisabetha placentam promet ex pomis ⁶⁷, pateram cum scriblitis⁶⁸, lagānis ⁶⁹, artolagānis ⁷⁰, laterculis ⁷¹ aut in diebus Nataliciis Domini quadram lucuntis ⁷²: quibus cena tandem absolvitur.



Ubi famula Maria cenavit catinos, scyphos, cochlearia, fuscinulas mundabit et absterget ac suo loco recondet.

Juxta culinam —forte ad triclinium—, bellulus prostat abacus in cujus loculamentis varia scyphorum ac poculorum genera collocabit. Supra abacum non nulla vasa ornandi causa imponere solet: fructuum tympanum ⁷³, lancem, pupulamque ⁷⁴ vides.

Tandem e viridario cottidie florum fasciculum conformat Maria, quos in testa recondit; ac dum tibialia ⁷⁵ ac lintea sarcit, ad mensam in sella sedet.

VOCABULARIUM

- 1 brassica, ae, f., *col*
 2 beta, ae, f., *acelga*
 3 cināra, ae, f., [*carduus sativus*], *alcachofa*
 4 melongēna, ae, f., *berenjena*
 5 taberna condimentaria, *especería*
 6 taberna esculentorum, *comestibles, ultramari-*
 7 crocum, i, n., *azafrán* [nos
 8 gadus merluccius, *merluza*
 9 trulla, ae, f., *cazo*
 10 lanx assatoria, *rustidera*
 11 manucergium, ii, n., *toalla*
 12 pannus tersorius, *pañó de limpieza*
 13 igniarium, ii, n., *cerilla*
 14 quadrula compressi carbunculi, *pastilla de*
 15 scapus ligni, *tarugo, tronco* [carbón
 16 authepsa electrica, *bornillo eléctrico*
 17 focus oeconomicus, *cocina económica*
 18 foculus, i, m., *fogón*
 19 lamina, ae, f., *plancha*
 20 furnus, i, m., *bornó*
 21 thermosiphon, onis, m., *termosifón*
 22 infurnibulum, i, n., *tubo para el humo*
 23 chocolata potio, *chocolate desbecho*
 24 caféum cum lacte, *café con leche*
 25 condire saccharo, *poner azúcar, azucarar*
 26 cydoniatum, (=malum cydonium gelatum),
mermelada de membrillo
 27 orbiculus panis, *panecillo*
 28 panis cui immissa est tenuissima perna, *san-*
 29 jusculum, i, n., *caldo* [wich
 30 jusculum cum turundis panis et carnis, *consu-*
mado, consomé
 31 sorbitio ex pasta, *sopa de pasta*
 32 similāgo, inis, f., (=simila, ae, f.), *sémola, pu-*
ré de sémola
 33 tuber solanum, *patata*
 34 caro jurulenta, *carne en salsa*
 35 assatura, ae, f., *asado*
 36 pastae segmenta, *cintas, (tirillas de pasta)*
 37 vermiculi, orum, m. pl., (=pasta vermicula-
ta), fideos
- 38 pasta tubulata, *macarrones*
 39 oryza Valentinorum more parata, *arroz a la*
valenciana
 40 bubula lardo vinoque condita, *estofado*
 41 gadus merluccius frictus aceto perfusus, *mer-*
luza a la vinagreta
 42 artocreas, atos, n., *albóndiga*
 43 offula tomacinae, *roncha de mortadela*
 44 offula lucanicae, (=tomaculi), *roncha de cho-*
 45 minūtal, ālis, n., *guisado* [rizo
 46 obsonia fricta, *fritada*
 47 lanx fructuarum, *frutera, bandeja*
 48 armeniācum, i, n., *albaricoque*
 49 citrullus, i, m., *sandía*
 50 malum aureum, *naranja*
 51 palmula, ae, f., *dátil*
 52 caryōta, ae, f., *dátil seco*
 53 quadrula, ea, f., *pastilla*
 54 antecibum, i, n., *tentempié*
 55 gustatio absinthiāca, *vermout*
 56 paropsis, idis, f., *fuenta*
 57 lycopersicum, i, n., *tomate*
 58 brassica capitata, *repollo*
 59 ovum recens, *buevo fresco*
 60 ovum fluidum, *b. para beber*
 61 ovum elixum, *b. pasado por agua*
 62 ovum concretum, *b. duro*
 63 ovum assum, *b. al plato*
 64 ovum rudicula agitatum, *b. batido*
 65 ovum mixtum, *tortilla*
 66 ovum frictum, *buevo frito*
 67 placenta ex pomis, *torta de frutas*
 68 scriblita, ae, f., *galleta*
 69 lagānum, i, n., *mantecado*
 70 artolagānus, i, m., [buñuelo], *bojaldre*
 71 laterculus, i, m., *carquiñoli (cat.)*
 72 quadra lucuntis, *barra de turrón*
 73 fructuum tympanum, *frutera*
 74 pupula, ae, f., *muñeco*
 75 tibiale, is, n., *media*

[JOS. M. MIR, C. M. F.]

Lucretiana 1950

- 743 [L. III] datur ac patrius pavor.
852 Te! nunc nihil; «te» = accusativus exclamationis! «te» = mi Memmi! te = Memmius 5.91; cf. me miserum! St - Sch 385.
908 ec pectore.
921 sic esse supremum; «supremus» (sc. dies) = mors; cf. diem supremum obire; cf. 1.546. «vulgariter» vel hoc modo scriptum est: *sopraemom*; K 1.66.
950 quid respondemus? sic justam intendere litem naturam.
966 Sisyphus in vita jam nobis ante oculos est.
1051 urgeris variis miser undique curis.
1063 ad villam praecipiter tum; «tum» pertinet ad «currit».
1085 fortuna ea, quam vehat aetas; structura sententiae sic se habet: «in dubio est ea fortuna, quam postera aetas vehat».

LIBER QUARTUS

- 35 simulacraque luce carenum; «carenum» = carenorum; «carenus» eadem vi utitur atque «egenus».
40 corpus simul atque animans natura; «animans natura» = anima.
69 et forma conservare figuram.
71 pauca queunt, et si sunt prima fronte locata; subjectum in sententia, conditionali («si») est «pauca».
77 trementia fluctunt; poeta novum verbum «fluctere» finxit.
92 veniunt extas secus ortae; «secus» = secundum, praepositio cum accusativo conjuncta; extae = *exta* (= viscera, *entrailles*) E - M 316.
114 exordia resum; «resum» est forma nativa, unde rhotazismo «rerum» evenit; K 1.174.
143 Nunc cape, quam facili.
216 atque etiam migrar fateare; «migrar» est infinitivus sine -e finali; St - Sch 88-89 *noli me tanger*; St - Sch 328; cf. 5. 1208 *eriger*.
2 ec tenebris autem.
324 fiet ut ante oculus fuerit qui dexter, at idem; «at» distinguit «dexter» et «laevus» ut contraria; «at» in prisca lingua latina postponi potest; St - Sch 666.
332 adeo a speculo in speculum.
334 retro rusum; cf. 4.333 rusum.
446 aliam in partem atque mera ratione feruntur.
468 protinus ardit; «ardit» = addit; «ar» = «ad» in prisco sermone latino; AR in AB falso mutatum est; K 1.926, 11.

- 511 copia cassans; «cassare» est verbum obvium jam apud Plautum: *mil. glor.* 856, quod significat: corruere, collabi; caducum vel fragilem esse.
- 514 normaque sin fallax.
- 545 et validis linguīs otī hortis ex Heliconis.
- 615 Hoc quia sentimus.
- 648 proinde ec seminibus.
- 814 cur igitur mirumst? animus qui perdit. «qui» vel potius «quei» prisce scriptum erat; aut est «qui animus» = hic animus: id est relativa conexio, aut sic intellegendum: cur animus aliquid mirum est, qui cetera perdit...?
- 862 animalibus; ut quia sunt; «ut quia» est quasi duplex conexio relativa et significat: nam ita ut.
- 868 et recreet robres inter datus; «robres» = robures: vocalis -u elisa est ut in substantivo «puertia = pueritia» apud Horatium. *Carm.* I 36, 8; Lucretius hoc loco «robres» masculini generis adhibet; E-M 867, K 1.318.
- 888 artus, animalis dissita; «animalis» = adjectivum ad «vis» attinet.
- 999 venatumque canes; «venatum» = venatorum; est contractio syllabarum -orum in -um, quae non modo in secunda declinatione, sed in tertia quoque observatur; St - Sch 261.
- 1013 ...faciuntque geruntque reges: expugnant; «reges» = ut reges; «expugnant» sine objecto et absolute usurpatur, cf. 4.967.
- 1013 proelia miscent = Sophocles in *Oedip. Colon.*
- 1046 Ἄρχη μετίζουσι.
- 1039 namque alias aliud res; «aliud» = aliud T. I. I. «alius» 1622, 48.
- 1188 omnia possies; «possies» duabus syllabis legendum est; vetusta forma conjunctivi praesentis; K 1 807.
- 1198 subsidere possont; ut «sont» = sunt, ita «possont» = possunt scribi potest K 1. 670.803; «possont» legimus pro «possent» codicum; o et e facile confundebantur.
- 1208 virilim femina vim; «virilim» = -im etiam adjectivorum accusativus legitur K 1.322.
- 1209 vicit cupida vi.
- 1225 haec ec semine certo; «ex» habet codex A (in editione Teubneriana), sed «ec» codex Quadratus scribere solet et «haec» antecedens monstrat «ec» haplographia periisse.
- 1257 ut semina possient; «possient» duabus syllabis legatur oportet; K 1.807.

LIBER QUINTUS

67 congressus materiarum; codices O et Q habent «materiam» = ut «deum» = deorum materiarum.

EMIL ORTH

Bibliographia

R. GRANDSAIGNES D'HAUTERIVE, *Dictionnaire des racines des langues européennes*. Lib. Larousse, Paris, p. 356.

Saepe numero de improbo onere ac labore, quem in ediscendis linguis nostrae aetatis impendere debent, queruntur alumni. Ut autem praegravi illo incommodo aliquatenus subveniatur atque linguarum studium earumque inter se comparatio leviora discentium animo fiant, hoc linguarum dictionarium prodit, quod sane maximam superioribus alumnis eruditisque viris praebebit utilitatem. In eo enim notatio seu etymon prostat, quae est quasi radix multarum vocum quae in recentibus linguis continentur; huic autem radici composita ac derivata in praecipuis linguis europaeis (Graeca, Latina, prisca Gallica, Gallica, Hispanica, Italica, Germanica, Anglica) proxime subsequuntur. — Quod quidem opus si continuo pervolutaveris, vocabulorum etymologias, sensuum evolutionem, phoneticas permutationes facile edisces cum simul, sub uno aspectu conspicienda, praebeantur; illudque dilucide percipies quae ratione a communi capite vocabula promanent, quamvis saepe valde nunc discrepent.

Sub fine operis *index* vocum praestantiorum in singulis linguis continetur quo facilius eas suo loco inquirere et invenire possis.

Dictionarii tamen titulus aliquatenus est explicandus, nam non omnes Europae linguae pertractantur atque evolvuntur, sed nobiliores tantum, quae ab alumnis superioribus aut a doctis viris excoluntur.

A. ERNOUT, *Les adjectifs latins en -osus et en -ulentus*, Paris, Klincksieck, 1949.

Adjectiva quae in *-osus* et *-ulentus* desinunt ab aliis scriptoribus fuerant pertractata. At cimus. Dr. A. Ernout totam, quae ad rem pertinet, materiam

exhaurire videtur; nam in hoc opusculo studiosis profert elenchum adjectivorum sive quae in antiquis et classicis scriptoribus sive quae in posterioribus et Glossariis reperiuntur. Quaestionem praeterea movet de etymologia harum terminationum; sententias propositas — vel ipsas a Wackernagel et Niedermann excogitatas — rejicit, quid vero ipse sentiat, aperte ostendit. In unoque adjectivo et sensus et usus apud scriptores optima, media, infima latinitatis expenditur cum adjectivo Graeco eundem sensum exprimente. Locupletissimam habes opellam quae rem penitus attingit. Dolendum tamen quod usitatis typis liber non sit excusus.

SER. SILVA NETO, *Fontes do latim vulgar (o Appendix Probi)*. Faculdade Nacional de Filosofia, Rio de Janeiro, 1946.

Diu multumque de sermone Latino vulgari apud scriptores est disceptatum. Professor Seraphinus Silva, sedulo inquirat quid pro ipso sermone vulgari intellegant quidque de eo sentiant auctores (Gradgent, Kroll, Löfsted, Bögel...); quod intersit discrimen inter litterarium, cottidianum, plebejum sermonem; quae ratione ex aliis linguis conformatus atque evolutus sit sermo usualis, quibusque in fontibus investigari illum oporteat in praeis scl. scriptoribus, grammaticis aliisque scriptis posterioribus et in opere praesertim cui nomen *Appendix Probi*. Plurimae in Auctore, ut in viro novo et adolescente, litterae et eruditio sunt, multaque in sententiis colligendis ac discutiendis elucet scientia. Opus maximae utilitatis ad erudiendos magistros et scholares superiores in primis in Brasilia futurum speramus. Quaedam tamen accuratiora pervestigatone forte pertractanda erunt; cumque ex diversis elucubrationibus separatim editis capita totumque opus constituatur, earum partes parum conexas atque copulatas apparent.

J. M. MIR, C. M. F.

J. ECHAVE-SUSTAETA, *Estilística Virgiana*, Ediciones Cefiso, Barcelona, 1950.

Novum sane thema in lingua Hispana explicavit primus inter Vergilii amatores illustris hujus operis auctor. Aptissime in opusculo expenditur usus et adumbratur vis conditionalium apud Vergilium —cum variis parataxis et hypotaxis formis—, quae ex Eglogis praecipue desumuntur, comparatione instituta ad vulgarem sermonem, ex Horatii Satyris et Petronii Satyricone excerptum; immo quid cum vernaculo nostro sermone congruat saepe auctor commemorat, quod profecto expositioni seu doctrinae claritatem ac perspicuitatem praestat. Opus expletum omnibusque numeris perfectum —cum non multo apparatu critico ornetur— forsitan quibusdam non appareat; auctorem tamen excusat nobilissima mens exquirendi studiosos atque sapientes eosque concitandi ut Vergilii completam stilisticam perficere studeant. Ob illum sincerum amorem quo studium singulare stilisticae Vergilianae prosecutus est, auctor profecto est laudandus; dolendum tamen quod tantum Eglogas —miro tamen modo— in libello aggressus sit.

Lectores, operum Vergilii adamantes, in hoc opusculo optime elaborato, pulchra dictione ditato, reconditum stilisticae Latinae thesaurum quasi praelibare poterunt.

J. M. TREDUNLO, C. M. F.

D. MAYOR, S. J., *Homero escolar*, selección y notas 180 pág.; Bibliotheca Comillensis, 1950.

Opus quod lectoribus offerimus, pericopis ex Illade et Odyssea excerptis constat; perutile profecto aptumque quo humanisticae adolescentium institutioni consulatur. Auctorem in ejus compositione triplicem scopum in animum induxisse dilucide patet: educationem, instructionem, delectationem. Sed delectatio et instructio ad ipsam educationem convertuntur. Et hic est modulus

in pericopis selegendis et notis hujus operis distribuendis.

Quae tamen excerpta, quanquam sano iudicio selecta, quasi manu ducere debent ad integram Homeri lectionem; nam fragmentis scholaribus difficile est alumnos modum cogitandi atque dicendi genus classicorum penetrare, atque historiam, mores, instituta aliaque in opere contenta cognoscere. Non nullae grammaticae Homericae animadversiones, notulis interpositae, textui intellegendi ac linguae Homericae declarandae maxime —uti credimus— adjuverent.

J. GARCÍA, C. M. F.

R. MORISSE ET G. THÉVENOT, *Les Lettres Latines, Le théâtre comique, Lucrèce, Cicéron, César et Salluste, Virgile, Horace, Les poètes élégiaques, Tite-Live, Sénèque, Tacite*; Les Éditions de l'École, Paris, 1950.

En tibi, benevole lector, classicorum scriptorum opera affabre in opuscula concinnata ac digesta sub uno praecipuo titulo «Les Lettres Latines» et ab eisdem auctoribus composita.

Omnia in his opusculis nitent: selecta operum fragmenta, picturae, tabulae geographicae —quae saepe pagellas ornant et puerorum mentes oblectabunt—, et notulae quae ad historiam, geographiam syntaxim textusque claritatem et interpretationem spectant.

Totius vero operis finis is esse videtur ut, dum alumni praecipua scriptorum classicorum argumenta percipiunt et selecta fragmenta interpretantur, litterarum Latinarum curriculum quasi percurrant a primis rei publicae temporibus incipientes et usque ad scriptores Christianos devenientes. Quae quidem maxima est totius operis virtus,

Minima quaedam in legendo percipimus, in textu vel in ejus interpretatione, de quibus aliud forte sentient viri sapientes.

Neque vero minuta illa opuscula, quae dono quoque accepimus, (*Naaman*,

SPES — Diccionario Ilustrado Latino-Español Español-Latino. Prólogo de D. Vicente García de Diego, de la Real Academia Española y del Instituto Cardenal Cisneros. Con un apéndice-resumen de Gramática Latina.

3.ª edición revisada y ampliada con LATIN ECLESIASTICO por el cuerpo de redactores de PALAESTRA LATINA.

Un volumen de 728 págs.: Ptas. 55.

SPES — Diccionario Abreviado Latino-Español Español-Latino, con ilustraciones, para los primeros cursos del Bachillerato.

Un volumen de 312 págs.: Ptas. 25.

ECHAURI — Diccionario Manual Latino-Español Español-Latino.

6.ª edición corregida y ampliada.

Un volumen de 830 págs.: Ptas. 50.

PABON-ECHAURI — Diccionario Griego-Español, con lista alfabética de formas verbales y apéndice gramatical.

2.ª edición corregida y ampliada.

Un volumen de 602 págs.: Ptas. 40.

PUBLICACIONES Y EDICIONES SPES, S. A.

« EDITORIAL SPES »

Avenida de Carlos I, 149

BARCELONA - 13


Cum emetis, PALAESTRAM LATINAM nuntiantibus referetis

VINOS DE MISA

DE MULLER, S. A.

TARRAGONA

Casa fundada en 1851



Medalla de Oro en la
Exposición Vaticana de 1888 (S. S León XIII)
Proveedores de Sus Santidades
Pío X, Benedicto XV, Pío XI y Pío XII

Garantía de absoluta pureza

EXQUISITA CALIDAD

Certificados del Excmo Sr. Arzobispo de
Tarragona y de muchos otros Ilmos. Prelados

Cum emetis, PALAESTRAM LATINAM nuntiantibus referetis

Discant a bestiis homines, Bella Persica, Quomodo baculus floruerit, Horatius, cet.) fas est oblivisci quae et alumnos in grammatica ediscenda placide ac suaviter exercebunt eosque ad sermonem familiarem Latinum conserendum sensim manu ducent. Ex quibus illustre omnibus fit opus apprime elaboratum et ad informandos alumnos perutile.

Quae supra diximus scriptorum classicorum opuscula nunc demum in unum volumen contextum —bellulum sane volumen!— accepimus.

ENZO M. MARMORALE, *Cato Major*, 2.^a ed., Laterzi, Bari, 1949.

Dni. Marmorale liber, denuo in vulgus editus, ad biographicum genus, nostra aetate communissimum, pertinet.

Cato, rei publice morum contra Scipionem Africanum strenuus defensor fuit, et tunc temporis exemplum Italiae, quae —cum liber vulgabatur— acerbissimum bellum gerebat ad propugnandam libertatem et patriae instituta.

Opus Dni. E. V. Marmorale 236 pagellis constat et duabus partibus quarum prima chronologica et critica, altera vero sub quadruplici ratione agricolae nempe, oratoris, rerum gestarum scriptoris viri civilis vitam Catonis describit.

«Dulcius ex ipso fonte bibuntur aquae»: hanc sententiam in hoc cl. viri Marmorale libro, omnium opinione, voce unanimi proclamare summo jure debemus. Auctor antiquissimas fontes nostraeque memoriae prorsus exhaurit; sequitur tamen, coterranei Fraccari vestigia, a quo tamen aliquando dissentit, exempli gratia, cum de perscrutando Catonis cognomine agitur, ubi Catonem, cognomen tantum esse, Priscum, vero praenomen, propugnat.

Catonis biographiam a Dno Marmorale exaratam perutilem arbitramur ac duae editiones brevi temporis spatio pervulgatae operis momentum probant atque commonstrant.

C. CEBRIÁN, C. M. F.

ANDRE LAMBERT, *Die indirekte Rede als künstlerisches Stilmittel des Livius*, Buchdruckerei Baublatt AG., Rüslikon, 1946.

Libellus thesi ad lauream constituitur, cujus tertia fere pars locis Livii absolvitur a libris I-VI et XXIV maxime depromptis prout auctor propositum sibi indixerat (p. 20). In notulis frequens bibliographia notatur.

Opus, ut ex ipso titulo patet, de stilo indirecto ut medio compositionis in Livii scriptis agit et in tres disperitur partes quarum en tituli: «Die Reden im Geschichtswerk des Livius. Rhetorische Durchgestaltung der indirekten Rede. Gebrauch der indirekten Reden. Bedeutung der indirekten Reden. Livius und Polybios. Der Gebrauch der indirekten Reden bei Sallust. Die Reden bei Caesar».

—Ut merito admonet Dnus. Lambert necesse est antiquorum conceptum de historiae descriptione penitus inquirere si recte et circa materiam et circa formam historicos antiquos dijudicare volumus.

—Sub uno vocabulo hic conceptus «eloquentia» appellatur (pg. 8). Opus historicum est opus oratorium apud antiquos, immo et poëticum, quamvis et narrationis veritas persequatur, alio tamen sensu atque hodierni historiographi veritatem intellegunt historicam, exemplaritatis quae dicitur (pg. 15).

Ex hoc fine oratorio valorem haurit ipsa narratio indirecta, ut medium nempe stilisticum (pg. 13). Quae omnia auctor alibi probat.

—Haec prima pars mihi videtur praecipua hujus operis cum reliquae aliis minoribus investigationibus constituentur: de Livii operibus, de Polybio et Livio, de stilo indirecto Sallustii deque Caesaris orationibus.

F. ALBA, C. M. F.

Palaestra · Exercitatoria

NAVIS ELECTA

Congregationi Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis B. Mariae Virginis

Fulgurans caelos Dominantis ira
Imminet; nubes crepitu minaces
Vindicis nomen resonant sub alas
 Turbinis actum.

Grando tellurem, Domini flagellum,
Verberat; Dextrae jaculum rubentis
Fulmen et flagrat tonitrumque caeli
 Commovet aedes.

Ut leo crines agitat furore
Aequor et fluctus vehemens tumentes
Excitat; ventis, gemitu minaci
 Seu rugit, ictum.

Victimas diro lacerare morsu
Quaerit imbelles dapis ardor hostis,
Cujus in fauces temere trahuntur
 Interiturae.

Nulla spes fulget miseris salutis.
Aequor, heu! fluctus reprimas rebelles,
Numquid ex musca veniet leoni
 Gloria victa?

Parce ploranti, Deus; in rigore,
Si reum Justus feris obstinatum,
Mitis ignoscis quoque poenitentem
 In pietate.

Qualis attractus colubri doloso
Igne, se tradit periturus hosti
Passer, et navis mare fluctuosum
 Sic premit audax.

Quae tibi tanti fuerit, requiram,
Causa momenti ut peteres sepulchrum
Aequoris. Numquid decus obtinere
 Morte peroptas?

Nomen incauto placidum nitebit
Numquam. An experto, reputas triumphum
Assequi complens, duce sive nautae
 Fisa lacertis?

Nititur frustra Patre non favente,
Filius. Linquas premere aequor ausa
Turbidum; portum repetas (amicus
 Oro) quietum.

Quas paret poenas inimicus audi:
Vela discindet rabies citati
Africi fluctus latus ira nudum
 Caedet inulta.

Guttur et pandet patulum vorandae
Victimae pontus; nigra solitudo
Noctis et cladem celebrabit orbae
 Remige navis.

Ista me attingent; tamen umbra nomen
Non meum probri capiet; superbi
Non furor vincet modicam, nec omnis
 Sum moritura.

Ille qui Justus dedit arma ponto
Laedere adversum, scelera ingementi
Me Pius parvam voluit salutis
 Munera ferre.

Cruda tempestas rugiet; micabit
sed triumphalis superis corona,
Sidus alnum quam nitido diei
 Iride textet.

Nox et accedet metuenda, velum
Mortis expandens; oculus sed ecce
Numinis ducet vigil intuentis;
 Stella micabit.

Hostis et clamor dein audietur:
Impotens fortis superare navim
Esse cognosco fragilem; superbis
 Qui mare possum

Fluctibus, ventis agitare saevis,
Sed vel invisis aperire portas,
Gurgitis, vincor ratis insolente
 Exiguitate...

Haud meum circum caput enitebit
Fulgor! Ornatam trabeam nec ostro
Induam, sceptrum neque jam potentis
 Dextera stringet...

Aequoris donec facie sinistram
Fingat, undata, mihi sol figuram,
Opprimet victum gravis heu, pudendae
 Cladis imago.

LUDOVICUS MARCUS, C. M. F.

e III c. Philosophiae

PRETIUM SUBNOTATIONIS ANNUAE

20 pesetarum in Hispania et America,

22 pesetarum in reliquis civitatibus.

Pretium mittatur oportet ad Administratorem: Lauria, 5, Apartado 1042, Barcelona
Scripta ad Moderatorem: Conde, 2, Barbastro (Huesca).

Typographia — F. Camps Calmet. — Teleph. 54. — Tarregae in Ilerda Prov.